...us Leo

Vilnensis Collegii et Academiae S. J. Phoenix orbis Lituani Ill. D. D. Casimirus Leo Sapieha.

PHOENIX
ORBIS LITVANI,

ILLVSTRISSIMVS DOMINVS

D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA,

COMES in Bychow & Sapieżyn,

PROCANCELLARIVS

Magni Ducatus Lituaniæ;

Orsensis, Wołpensis, Berezynensis PRÆFECTVS,

OEconomiæ Brestensis Administrator,

IVRIS VTRIVSQ;

In Alma Academia Vilnensi

F V N D A T O R;

ad Cineres Funebres.

JLLVSTRISSIMO DOMINO

D. PAVLO IOANNI
S A P I E H A

COMITI in Bychow,

Palatino Vilnensi, Supremo M. D. L.

Exercituum DVCI,

Zdźitouiensi, Rostauiensi, Borćianensi,

PRÆFECTO, &c.

Kobrynensis, & SZaulensis, Oeconomiarum Administratori,


ab Exulibus Socijs,

Collegij & Academiæ Vilnensis,

SOCIETATIS IESV,

Dicatus.

Anno Salutis M. DC. LIX.



Ad Illvstrissimvm Dominvm

D. PAVLVM IOANNEM SAPIEHA,

Palatinum Vilnensem, Supremum Exercituum M.D.L. Dvcem.

NOn miraberis Illvstrissime Domine, Domine, & Mæcenas Amplissime; si, cùm merita in Patriam Tua, Augustâ frontem adornant laureâ: nos ei Cupressum internectimus. Humanis trahimur vicibus; quæ victorias Tuas & Triumphos, ab obitu Illvstrissimi Domini D. Casimiri Leonis Sapieha, M.D.L. Procancellarii, tristi hac appendicula donarunt. Ingens fatorum vis est. & quemadmodum nullius arbitrio: ita nec vllius iudicio subest. Nemo erat, qui non illi diuturnum vitæ vsum precaretur; cuius vitâ, Patria vixit: nemo, qui non Tibi continuos felicitatis successus: cui successus suos, eadem debet. Ecce verò dum accusare sortem Cælo missam vetamur: plangere frustrata nostra desideria cogimur. Cessit à nobis Illvstrissimvs Casimirvs Leo Sapieha, Heros perenni vita dignissimus: candidam purpuram Tuam, mors pullato habitu afflixit: lauro immortali, lugubris arbor inserta. Superest nihilominus in hoc ipso tristi rerum nexu, quo nos solemur. Vigor scilicet virtutum Herois meritissimi, & Tuarum palmarum: à quibus, trux quoq; Cupressus, meritò reuirescat. Florebit ille perennibus memoratus laudibus; Tu, laudum flores, germinantibus perpetuò meritorum ornabis insignibus. Nisi aliunde Sapiehanvm

NVM Nomen ad gloriam ſufficeret: Tuum perennitati inſereretur. Audiet Te æternùm Suecus & paueſcet: audiet Hungarus, & victorem ſui ſentiet: audiet Moſchus, & ſilentio venerabitur. Erudiuiſti meritis ad Tui cultum populos; & ſanguine hoſtium, Patriæ ſaluti ſæpiùs litato, non diluendam memoriam æſtimationi inſcripſiſti. Perge porrò glorioſe HEROS, maturam per facta paria promouere dignitatem: perge Te, Tuoſque Auguſtos Maiores, ac in eis PHOENICEM ORBIS LITVANI CASIMIRVM LEONEM SAPIEHAM diu ſpectandum exhibere: perge quoq; laureæ Tuæ vigore, funebrem Cupreſſum animare. Nos, nobiſcum ideò illam Tibi ſacramus, vt conſeruatæ Patriæ, datam à Te vitam profiteamur: Tuoq; patrocinio protecti, de cineribus Academicis ad vitam aſpirare ſecuriùs poſſimus.

Jlluſtriſſimæ Dominationis

clientes coràm Deo deuoti,

exules Collegij & Academiæ Vilnenſis, Societatis IESV.

PHOENIX
ORBIS LITVANI
Jllustrißimus Dominus
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA,
M.D.L. PROCANCELLARIVS
Orsensis, Vołpensis, &c.

T*Andem credere cogimur* JLLVSTRISSIMVM CASIMIRVM LEONEM SAPIEHAM, M.D.L. PROCANCELLARIVM &c. *mortalem vixiſse, quem immortalem Virtus meruerat. Hem Superi! Quot in vno Patriæ Ciue, Ciues; in Senatore, Senatores; in Heròë occubuerunt Heròës. Scilicet ruente in occaſum Republica, occidiſse debuit: qui viuere, niſi illa ſtaret, noluit. Vno, cum Matre condi elegit filius tumulo: vt quo ille aſpergeretur cinere, eo non attingeretur, nec premeretur Mater: immò mortui Cinis, aut ſibi, aut Matri, tandem vtriq; vitæ parens eßet. Cinis nunc eſt, quòd delicioſum Orbis ſpectaculum fuit: cinis eſt, quòd portentoſum Animi & Virtutis Domicilium: ſed non infelix Cinis, è quo immortali vita digniſsimus* PHOENIX *enaſcatur: atque ſimul vitam Magnæ Matri Reipublicæ meritis aſpiret. Victuros diu, tantiſper victuri compellamus! Videte, vt* PHOENIX *noſter virtutibus raris ſurgat: vt altè volet, vt aſpectus admirationemq; volatu rapiat! Si tantus impetus eſt, poſthumæ virtutis: quantum fuiſse credetis præſentis? Sed hem iterum ſuperi! Quàm fruſtra verbis luditur dolor! Quantos in tam graui, debemus gemitus caſu? Oculorum ploratus, Populi; pectorum ſingultus, Senatus; Cordis dolor, tota Patria eſt. I perge alto volatu, meritiſsime virtutum* PHOENIX; *nobis id ſolùm reſiduum eſt, Te ſepiùs reſpiciamus: ſæpiùſq; nobis erepto illacrymemur.*

PHOENIX
ORBIS LITVANI
Jllustrissimus Dominus.
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA,
M.D.L. PROCANCELLARIVS
Ob raram
Summæ Magnitudinis cum summa Humanitate ac Demissione coniunctionem.

Magnus vixisti
CASIMIRE LEO SAPIEHA,
nec minor Te iaces.
Magnitudinis mensura, Dignitatis Magnitudo.
Cineribus conditur flamma, non perimitur,
& Morte Virtus.
Si truncus Magnum veré facit, faciet Paruum Cinis:
at vtrumque,
aliud est, quàm quod in homine Magnum, aut Paruum est.
Ortus SAPIEHANVS, Sol Meridianus;
Alter lucis, Gloriæ alter radijs ILLVSTRISSIMVS.
Fons Sanguinis,
Fons Honoris, & Virtutis.
Exordia, si inquiras; laborem perdis.
Si spectes,

Per

Per vastissima Regnatricis in primis Iagiellonibus
Lituaniæ littora;
Per amplissima Principum Poloniæ ac Lituaniæ
Familiarum confinia;
Per Augustissimorum Reipublicæ officiorum decora,
euolui videbis.
Nili originem nemo quærit, quia nulli dubia est.
Parui fontes, notis clauduntur marginibus:
ingentes,
oculos amplitudine superant.
LEONE Patre,
Supremo in M.D.L. Palatino, ac Duce
non degener editus LEO;
CASIMIRI gratum incolis Nomen infans assumpsit.
hoc est,
præsagium Humanitatis Magnitudini iungendæ dedit.
Diuinis deinde abluendus aquis,
Serenissimorum REGVM POLONIÆ
exceptus manibus:
A DEO & REGE, pro DEO & REGE initiatus.
Dignum sanè visum Onus, quod ijsdem, quibus Respublica,
gestaretur manibus;
datusq; sensus triumphalibus palmis
cognoscendi in Infante, Pondus Salutis Publicæ.
Quidni cognoscerent?
cùm puer Reipublicæ natus, Salus Publica futurus esset;
quàm deinde sustinuit,

Opi-

Opibus, Auctoritate, Cosilio, Armis, Corpore, Animo,

Vita, Morte.

Tantam ſemper HEROS noſter Rempublicam animo aluit, quanta in ſe eſſet:

Tanta illa fuit, quantam hic ſouit.

Par Magnitudini Publicæ, Magnitudinis Æſtimatio:

Pares Curæ, Æſtimationi.

Neq; ætas iniuriam prioribus iudicijs inferre potuit,

Virtuti intra ipſa ſacrorum arcana domicilium ſuum, quàm ſanctè, tam magnificè ingreſſæ.

Viſa eadem cùm ætate creſcere,

Publico iudicio & grandibus Titulorum inſignibus deſignata.

NOTARIVS imprimis M.D.L. dictus

Adoleſcens, viris paria egit.

Nec clementiores tabulas, nec æquiores rei: quàm nomine grandi CASIMIRI SAPIEHÆ notatas, deſiderare poterant, aut deſiderarunt.

Non ſegnior tum Calami, quàm deinceps Gladij

Arbiter,

in nullius vulnus ſtrinxit aciem, quàm in vulnus feriendi.

MARESCHALCVS inde Regiæ Curiæ, virtutibus, paſſus altiùs promouit.

Si ſequi alios debuiſſet, non præire non poterat.

Præire Principes iuſſus, continuis Meritis gloriam Magnorum ſuperabat.

Non defecit aſcenſu, virtutis Heroicæ impetus.

Humili, Collis: pro Alpibus eſt.

Cui Auguſta virtutum placuêre inſignia, luctâ animatur.

Nihil anguſtum, Auguſto eſt pectori.

Hoc

Hoc impetu ferebatur SAPIEHANA virtus.
Oculorum Regiorum felix Meta, & Fax Amorum:
Curiam in oculis, Patriam inpectore ferre demũ visus.
Vtriusq; plausu, & gratulatione,
PROCANCELLARIVS M. D. L. proclamatus.
Abeste fabulosi Apollines!
subsultantia saxa, rupesq; longè abite!
SAPIEHA CASIMIRO PROCANCELLARIO dicto,
Populus, Nobilitas, Senatus, Iura, Affectus, Corda,
tota deniq; subsilijt Lituania, ac Polonia.
Commune bonis indictum Gaudium,
soli obriguêre improbi.
Gaudere scilicet non poterant, quòd odisset virtutes, vitium.
Obmutuisse necesse erat,
quòd non inueniret audacia, vituperium.
Quis tum nouum non suspexit Curtium?
non Ceris solùm Lituaniæ pressum, sed in LEONE
CASIMIRO SAPIEHA rediuiuum.
Deuotum Patriæ Caput, & Curtiano felicius,
quòd chaos licentiæ immane, occludere vna manu posset:
& Se Patriæ seruare.
Adhuc subsilit Eques Lituanus, gauisus Sapiehanæ manus frenis,
insignibus insolentiæ compescendæ, moderandæ virtutis instrumentis.
Liber illi vaginâ gladius,
PROCANCELLARIO animus,
nunquam iniquioris amicitiæ, aut pollicitationum dolo interceptus.
Sed ferreus Gladius, Aureus, Animus est.
quando aurum, illicitamentum vitiorum, in decus virtutis transijt:

& contemptus color cupiditatis,
excanduit in Magnanimitatis Ornamentum.
Nunquam ſub SAPIEHANO Sigillo,
preſſa Libertas, nunquam Innocentia ingemuit:
Ceris adamante durioribus,
immutatum Publici ſtudij vultum retinente.
Si vita producta ſimul fuiſſet,
Parenti olim CANCELLARIO, & PROCANCELLARIO Filio:
dubitari poterat,
quem Publica Stemmata potiùs imprimerent?
niſi quòd meliori ſenſu,
Pater in Filio, & Filius in Patre noſceretur.
Filius, Imago Patris eſt;
Multis naturæ, SAPIEHIS virtutis expreſſione.
Supremos in Lituania titulos, ſæpe, & ex merito Sibi oblatos,
conſtanter recuſauit.
Nunquam tamen effecit,
ne tantus videretur, quantus haberi merebatur.
Creuit etiam honoris contemptu,
ſupra id, quod maximè ambiri poterat, animo euectus.
Tantus certé habitus,
vt pares pauciſſimi: Melior, nullus.
Ehem PHOENIX Lituane!
quæ Tibi memor Poſteritas, non debebit præconia?
In ſumma Fortuna, nulli graui:
In ſummis Opibus, nulli iniurio:
In ſummis Honoribus, nulli faſtuoſo:
In ſummis Amoribus, nulli ficté blando:

In ſum-

In ſumma Potentia, nulli ſupercilioſo.
Liberalis vultus, facilis acceſſus, comis ſermo,
Communem Te omnibus fecerant,
ſine detrimento Grauitatis:
communes omnes Tibi, ſine præiudicio Auctoritatis.
Impendiſti benigniſſimè affectus, vt raperes:
Indulſiſti amorem, vt amareris.
Raró vt Bonæ fortunæ, ita Magnæ: cum bona mente conuenit.
Tu nec fortunatus Tibi viſus,
Niſi alios fortunatos faceres:
nec magnus, niſi omnibus Par eſſes.
Amare Te, an venerari deberemus? non dubitauimus;
Vtrumq; penſum debitum fuit.
Docuiſti inuſitatam affectuum coniunctionem, exemplo.
Curis, beneficijs, clementiâ Tuâ, nemo indignus habitus;
Votis, præconijs, Cordibus omnium, Tu digniſſimus.
Patens Tibi ærarium, tritum humiliorum calle Palatium.
Satelles dignitatis ſtipator, non Exactor ſeruitutis.
Ex toto LEO,
cùm vel ex vngue eſſe poſſes,
nec digito læſiſti innocuos: nec humero preſſiſti imbelles:
nec Corde repuliſti Orphanos:
AMOR PVBLICVS CIVIVM.
Tollite ſepulchrale Marmor,
Corda tumulo ſubſtituimus.
Barbarus rigor ſit, qui ad horum attactum cinerum non lenteſcat,
quibus ſopitur clementiſſima Pietas.
Profundiſsimo mergatur ſaxum Oceano, quod huic graue ſit,
qui
NEMINEM INIVRIA PRESSIT.

PHOENIX
ORBIS LITVANI
Illustrißimus Dominus
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA
M.D.L. PROCANCELLARIVS &c.
Ob Rara
Togæ, Sagiq; decora in Se collecta.

Tandem plerisque,
posteaquam segnes viuere placuit, placuit segniter sentire.
Exclusæ virtutes Animo, prohibentur iudicio.
Alios Togæ, Sago alios quærimus Viros.
Veteri Maiorum more,
eiusdem Romæ Ciues, Togâ & sago vsi.
Fronte caret Numen, quod bella tantùm, aut pacem prospectat.
JANO biceps Caput est,
cùm Respublica petit, aperturo: cùm deprecatur, clausuro
bella.
Nec decet Sagum, quem non priùs Toga cinxerit;
Nec Toga, quem non Sagum commendarit.
Moderata sit necesse sitis sanguinis;
Nimia, cùm extingui non possit, exurit, & suffocat.
Si sanguis tantùm sititur, sanguis tantùm bibitur;
Si sanguis bibitur,

Tera-

Ferarum præda, non hominum genus ſumus.
Miſcenda lenia duris, mollia crudis, togata ſagatis.
Diſcamus pace, quod promamus bello:
agamus bello, quo ornemur pace.
Quies otioſa, vitium exprobrat; Pax immerita, ignauiam.
Non tegit, ſed prodit, Longa Toga, Breuem Virtutem.
O fortunata Patriæ tempora!
quibus
nec in Caſtris Senatus; nec in Senatu Caſtra deſiderata.
Non inuidimus Romæ,
tot Reges, quot Senatores:
quoties ſpectauimus,
tot Sapientiæ ac Martis HERCVLES:
quot Patres Senatûs.
His per omnia parem,
Certa ſcribet Poſteritas,
ILLVSTRISSIMVM CASIMIRVM LEONEM SAPIEHAM
M.D. Lituan: PROCANCELLARIVM.
Ex vtroque Heros,
Pacem coluit vnicè, bella fortiter geſſit;
Vtriuſque iuſtus oſor, ac Amator.
Pace parauit animos, bello prompſit;
Pace bellauit, triumphauit armis.
Erudita contra ignauiam virtus,
quicquid quieti præſenti vindicauit, labori futuro addixit;
nunquam laſſata, cùm quiete laboraret.
Profuturus omnibus ſeculis,
vni viuere noluit.

Venturis, pro præſentibus vſus,
effecit, vt aut non venirent: aut vt non incognita, ideoq; minùs ſæua
venirent.
Prima circa Bonum commune induſtria,
Ne paratis quæ Hæres inuenerat,
Solùm prodeſſet Patriæ:
quæſiuit noua.
Ne quæſitis obeſſet,
diuturnæ apud Exteros peregrinationis indagatione,
ſolam virtutem domum reuehendam elegit.
Quocunq; peregrinus iuit, Se tulit:
Quocunq; acceſſit, Se inuenit;
Vndecunq; regreſſus, Se retulit.
Tandem
Magno Miraculo,
Orbe peragrato, à ſe non defecit.
Belgium illi poſt Lituaniam, & Societatis IESV Magiſtros,
Sapientiæ Mater.
De Puteani abundiſſimo puteo,
SAPIEHANARVM ARTIVM
Nilus fuſus.
Loquendo tamen, an Agendo præſtiterit? difficile definitu.
Certum eſt, quicquid benè dixit: meliùs præſtitiſſe.
Sagax in obſcuris & difficilibus, Ingenium;
Expedita in anguſtis, Mentis Libertas;
Aperta in ſalutaribus Conſilijs Frons, & Animus:
Conſilia cùm panderent, concludebant;

& vel

& vel ſolo
perſuadebant dicente
Memoretur Lituanus Caſtor
ILLVSTRISSIMVS D. IOANNES STANISLAVS SAPIEHA
M D Lituaniæ MARESCHALCVS,
glorioſo Imperatoris FERDINANDI elogio
Os SARMATIÆ AVREVM
nuncupatus.
Habebit Germanum ſanguine & merito Pollucem
ILLVSTRISSIMVM CASIMIRVM LEONEM SAPIEHA,
M. D Lituaniæ PROCANCELLARIVM,
Aureum Os, & AVREAM MENTEM Lituaniæ habitum.
Tullium eloquio, Catonem grauitate, Metellum innocentia.
Si Patria pro ſe loqui potuiſſet,
alia oratione ac animo, quàm PROCANCELLARII vti noluiſſet.
Locuta etiam creditur,
quando Comitiorum Regni Publicorum Præfectus,
Licentiam & Seruitutem,
FATALIA Orbis Poloni EXTREMA,
à Libertatis veræ iniurijs repreſſit.
Pro omnibus cum Optimis concluſit,
Nemine tamen Repugnante,
SE
quia SAPIEHA conſentiente.
Optimus inter Pares
Solis Lechici radius, & Radiorum Centrum:
ô quanto per diſsita laudum Spatia irradiauit fulgore!
quantuſq; per Moſcouiam ſpectatus,
VLADISLAI IV. REGIS POLONIARVM SERENISSIMI

& totius Reipublicæ,
Magnus Legatus.
Senſit in radio Solem, in Legato Regem,
In VLADISLAO Rege, CASIMIRVM SAPIEHAM,
pulla illa Aquila;
& dignitatem ſplendoris confeſſa,
à Comitatu Legati, ad gentis gloriam iudicio tranſlato:

diu

quoſcunq; magnificentiâ virtutis, & Dignitatis conſpicuos vidit,
SAPIEHANOS dixit.
Nihil tamen auguſtius, ipſo ſuſpexit Legato.
Amicus veniebat, hoſtis etiam amatus fuiſſet.
Oleâ oblatâ, laurum accepit.
VLADISLAI triumphis, SAPIEHANISQVE Curis,
Pax Æterna dicta.
VIOLATOR OPERIS INFELIX ESTO.

At

preſſam mole ſeculorum victricium,
Fatiſcere Polonam magnitudinem neceſſe fuit.
Felix, quia humeris
SERENISSIMI ac INVICTISSIMI
IOANNIS CASIMIRI REGIS POLONIÆ & SVECIÆ incubuit.
Non ſtetiſſet, niſi ſic ruiſſet.
O Orbis noſtri maiorem Atlante Atlantem!
qui Ortui, Occaſui, Meridiei, Aquiloni ſuſtentando ſuffecerit.
Pugnarint alij cum hoſtibus,
REX NOSTER,

cum

cum fortuna quoq;, & virtute Hostium.
Nil mirum stetisse tantisper fata ambigua,
cùm Regiam stuperent fortitudinem.
Gaudemus verò ruere prona, cùm adorant Maiestatem.
Nihil tandem non inuictum Regi nostro est.
Vires, Dolus, Insidiæ, Bella, Licentia, Robur, Tempora, Mores,
Regna, Regnorumq; vicissitudines.
Perge Triumphali gloriosus lauro ad palmas,
AVGVSTE VICTOR.
SAPIEHANAM sine laude Cupressum, ne præterieris.
Hâc hodie donatur
Tuus ille totus, & totus Patriæ,
CASIMIRVS LEO SAPIEHA;
Senator Consilio, Miles Manu, Dux Animo, & Tuæ Maiestatis
iudicio.
Diu bellantem reuerita fata, inuasêre quietum;
Vicisset,
si quantum contra Mortem:
tantum contra immortalitem hominibus leiceret.
Id interea laudis tulit,
Palàm, mortem non ausam aggredi.
Inuictus bellicis periculis, succubuit morbis;
Nisi actum fuisset,
Plus quàm hominem suspicari potuissemus.
Tutatus Patriam semper aureis viribus,
ferreus eidem accessit.
Quot cohortes pugnarunt continuò pro vno,
pro totidem suffecit Vnus

ZBOROVIANÆ perfidiæ VINDEX,
Fatorum Victor.
Sæpiùs disiectæ Acies, totidem vicibus ordini & robori restitutæ:
Pugnatum supra sex continuas horas, inferioribus hoste viribus:
Res Polona grauissimè pressa, fortissimè conseruata.
Obstupuit omninò perfida audacia, sibi nec dolos, nec vires,
contra SAPIEHAM sufficere.
Gelidum Scytharum frigus, sudoribus generosi Ducis incaluit.
Barbaries cruda, humaniùs sapere casibus docta,
Quem malè sitiuerat sanguinem,
suo eluit.
Optasti prædam prædo;
arcumq́;, notato Patriæ amplexibus collo, inijciendum paraueras,
vt tuo iugulareris.
Cecidisti scilicet nobili fato, quia tanti criminis ausu.
Ludit, etiam cùm sæuit, Mars.
Alium tuetur sub ictu,
Rapit alium sub manu.
In ILLVSTRISSIMO CASIMIRO LEONE SAPIEHA,
Ludus Martis, Opus virtutis.
Gyrus Fortunæ, Auctoramentum diuini Patrocinij.
Deo vindicatum diem benè credidit,
quo Cælo vindicata DEI Mater Virgo esset.
Diuinis tutus præsidijs, humana non curauit.
Assuetam fronti galeam, vacare permisit:
Aperto capite, aperto oblatus discrimini.
Latere nullum potuit,
Quantum Patriæ vellet.

Aper-

Aperto capite, aperto vindicatus diſcrimine,
oſtendit omnibus:
Quantum ſibi Cælites cuperent.
Non eget Clypeo, quem vera munit Pietas.
Robore, non iubis, pugnat LEO.
Fronte petit hoſtem, qui victoriam petit.
Æternùm felices quieſcite Manes,
SAPIEHANO Nomini ſacratæ victimæ.
Tanti erat vnum SAPIEHAM in fortiſſima pugna periclitari,
vt robur Exercitûs duæ haſtatæ cohortes,
pluresq; pedites ſe deuouerent.

Tanti vincere,

vt ſuam ſibi cum illo ſalutem reſtitutam, Patria iudicaret.
Nec verò ſibi magis, quàm illi ſuperfuit;
Exegit mox inter primos, perfidiæ pænam à rebellibus,

ad Bereſteczko:

eo cohortium ſuarum impetu hoſtes aggreſſus, quo
ipſe in Rempublicam animo eſſet.

Vidiſset hîc

AMBROSIVS SPINOLA verum illud Martis decus,
quod in fortitudinis SAPIEHANÆ exemplis miraretur.
quemadmodum obtulerat
adoleſcenti SAPIEHÆ.
quod ab obſidione Bredenſi, ſpectator par Operi, ad imitationem

traheret.

Vidiſſent prodigia illa belli
IOANNES, LEONES, PAVLI SAPIEHÆ, quòd ſuum cuperent;

Alienum certè non erat, quia domesticum.
Vixisses etiam vtinam diu,
O HEROS inclyte nobis:
Vixisses Patriæ!
Vt, vt vota populi sublatus explere non potueris,
erat grande, quod poteras:
nimirum
VIDERI.
Nos ploramus, cùm Te flemus: nobis absumus, cùm Tibi.
An etiam Tecum tumulamur?
Multis partibus iam occidimus,
Ne toti occidamus, vel ideò optamus,
Ne Tu in nobis occidas.

PHOE-

PHŒNIX
ORBIS LITVANI
Illustrißimus Dominus
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA
M.D.L. PROCANCELLARIVS &c.
Ob Raram
Diuinarum Rationum & Politici, procuratam Concordiam.

DEO, & Patriæ nati,
Non alijs magis vitam nostram debemus.
Communis ille Parens est, hæc Mater.
Si filios sanguis monet, communia vtriq; præstanda officia.
O rudi terra, polita ingenia!
quæ Politiam Patriæ decori destinatam,
diuinis temerant iniurijs.
A DEO, Reges, ac Regna:
& per DEVM.
Iisdem artibus conseruantur, quibus nascuntur Imperia.
Anne Probus improbè, aut Improbus rectè agat?
Quantum de sincera demitur pietate Ciuibus,
Tantum de constanti integritate Ciuitatibus.
Nunquam Regna subsistunt, nisi Deo nixa.
Quòd si stare videantur,

Aut fallunt oculos: aut manum expectant, mox in casum protrusuram,
Nemo maximè barbarus, qui non Numen aliquod fingat;
nomo fingit, qui non colat.
Nobis & Numen verum est, & cognitum non coli, quis furor est?
Cælo iudice,
geminâ gloriæ Palmâ donaris,
ILLVSRISSIME CASIMIRE LEO SAPIEHA
M.D.L. PROCANCELLARIE;
Cælorum decori, Terrarumq; commodis edite.
Probasti exemplo, firmasti omnium iudicio,
Sufficere virum Aris, & Curijs.
Quàm Rarum!
Quàm Tu.
Qui Curiam tuam inspexit, Innocentē Opulentiam:
Qui Socios lateris, Stipatores Virtutis:
Qui Consiliarios, Regnatricem Sapientiam:
Qui Comitatum, Pedisequam Gloriam:
Qui vitam DEO & Patriæ deuotam, Robustam Integritatem
miratus est.
Magnis semper cogitationibus intenta Mens,
sine fastu Purpura, sine ambitione Curulis, sine sæuitia Fasces.
Pijs immersa operibus Religio:
sine simulatione Deuotio, sine fuco Pietas, sine vitio Sinceritas.
Consilia in Senatu salutaria, iuxta ac pia.
Sententia,
quâ scelus damnari, & innocentia absolui gauderet.
Ambitus potentiæ, imperandi Cupido, Priuata iura,
infra Personam calcata.

DEO

DEO Duce, ac Comite ſemper vſus,
à Patriæ commodis nunquam diſceſſit.
Patriæ præſidijs intentus,
Diuinarum rerum ſtudia nunquam dimiſit.
Stabunt æternùm
ſacrata Superis Ædium, Templorumq; monumenta;
& SAPIEHANAM loquentur in Deum Pietatem.
Stabunt Auguſtæ Operum Moles,
& eiuſdem auguſta profitebuntur in Patriam ſtudia.
Integræ Vrbes, Voces erunt.
Oſtentabit Nouogrodecum inclytum Mæcenatem,
donato Patribus Societatis Templo, ſuas ab incendio ruinas
Excitantem.
Oſtentabit Breſta beneficum Largitorem,
eximijs auri impendijs, ſacræ Molis erectioni prouidentem.
Oſtentabit Dźięciołum, ſuum decus;
Pulcherrima, robuſtiſſimaq; murati operis machina,
diuino cultui ſacratum Templum erigentem.
Oſtentabit Lituania & Ruſſia
totidem Oppidis, quot SAPIEHA poſſideret, Numinis Maximi
cultum, aut inſtitutum, aut promotum.
Grandior erit Słonimo vox,
Jlluſtri Canonicorum Regularium Collegio aucto.
Quis obſtrepet,
vbi in CASIMIRI SAPIEHÆ præconia,
tot Viris, ac viribus, magnus conſurget Auguſtinus?
Nec tacere poterit ſilentium eloquentiſſimũ Brunonis;

&, ſi ſileat, Bereſa æternas laudes loquetur.
Non ſatis viſum Heroicæ Profuſioni,
dotatis Religioſorum hominum,
placare Numen, ornareq; Patriam Conuentibus.
A NOVO in Lituania Ordine, nouũ quæſiuit decus.
Lateat Cartuſiæ fulgor, quæſitis abſconditus tenebris:
ingens tamen eſt.
Stellatus Bruno, cùm primum ſe Montibus conderet, viſus eſt:
Lux in tenebris lucens, flamma viuax in Cinere.
Retinent natiuam Stellæ lucem, etiam cùm ab hominibus
non videntur.
& aut minimum intereſt, aut lucrum eſt,
terris nigreſcere: dum fulgent Cælis.
Accedet laudibus
integerrimæ obſeruantiæ deuota Cohors
DRVHÆ fundata.
Interiectu præterfluentis Dunæ, iuncta mirè beneficia;
Dum ab alia parte Curlandica,
ab alia Liuonica confinia, pericula animorum inuehunt:
medius infuſus Fluuius,
prona piiſſimorum virorum delaturus vtriſq; auxilia.
Rapaciſſimas vndas ad genium Domini eruditas, diceres
beneficijs exundare.
Poſtquam ſemel cæpit, continuò fluit Liberalitas.
Ne ſemel vitæ ſuſtentacula, mendicatò venirent:
ſemel rogata ſunt.
Ne ſemel impetrata, ſuſceptam vltrò paupertatem ſpoliarent:

Sem-

ſemper rogantur.
Minùs beneficus fuiſſet, ſi ſimul dediſſet.
Faſtidit vera Liberalitas ſilentium, gaudetq́; prouocari.
Additur & pretium precibus,
toties æſtimatis, quoties beneficium obtinent.
Neq́; dubitare de iudicio licet,
Annuæ ſuſtentationis cenſibus obligato.
Neq́; de Liberalitate,
quæ nec ſerentibus, nec metentibus: ſeritur ipſa, & metitur.

Si vſpiam,

in hac Chriſtiani HEROIS Munificentia,
quærentibus Regnum DEI, cetera adijciuntur.
Pari ſurgit argumento SAPIEHANÆ laudis,
Cætus IOANNIS DEI, Nouogrodeci inſtitutus;
In omnes partes circumſpecta Beneficentia,
Cùm animorum præſidijs diligenter prouidiſſet:
Publicos Corporum quæſiuit Curatores,
geminatâ inſuper Prudentiâ:
quòd, in quibus auxit beneficia, non multiplicauit.
Eadem manu Mentis & Corporis porrigitur medicina,
altera minùs prodeſſet.
Grauiſſimus Morbus, in Corpore ſano, Mens languida;
moleſtus, Mente ſana, Corpus infirmum.
Certiſſimus vtriuſq́; Medicus, QVI DEI eſt.

At ſiſte Calame,

Verarum monumenta laudum ſpectantur meliùs, quàm pinguntur.
Iaces non inglorio offuſa Cinere,

ô Alma VNIVERSITAS & ACADEMIA Vilnensis!
an ad nouam vitam cum PHOENICE Lituano excitaris?
Cinis Tuus, æternus perfidiæ hostilis Tumulus:
SAPIEHANÆ Gloriæ monumentum erit.
Durabit, quod impia diruit manus, sacra erexerat.
In se scelus sæuijt, cùm sæuiret in innocuos;
Si minus ausum fuisset, latuisset feliciùs.
Totius Patriæ Ignibus illuxit, Cineribus se prodidit.
In ACADEMIÆ insuper ruinis,
notissimo furoris vultu conspectum.
Omnes olim professa Scientias, inclyta Lituaniæ Magistra,
nunc vnam loquitur Perfidiam.
Tacere non potest, quia silet.
Neq; tamen vna est Oratio, quanquam vnus sermo.
Qua voce vitium reprehenditur, laudatur Virtus.
Crimen Improborum, Panegyris virtuosorum.
Audacia Euersorum, Gloria FVNDATORVM.
I pete altum, tuo impetu,
ILLVSTRISSIME CASIMIRE LEO SAPIEHA,
Iuris Vtriusq; in ACADEMIA magnifice FVNDATOR.
Quantum scelus hostis, tanta Tua laus est.
Vt sit Ætas ACADEMIÆ interrupta, adempta non est.
Beneficia Tua ne quidem interrupta.
Vix vllo Cinere feliciùs flammæ immortales Gratiarum foueantur,
quàm ACADEMICO.
Tot emicant scintillæ, quot scientiarum desideria:
Tot Tui præconia, quot Literarum vota.
Toto sui pondere ruens illud Sapientiæ Mausoleum,
cordibus impressit SAPIEHAM.

Pro-

Profundiùs inſeri non poterat, feliciùs quis optaret?
In Corde omnium, COR conditum eſt Patriæ.
O decus operis, Cælo, Terriſq; digniſſimi!
Obſeruatis ex Virtutis præſcripto Iuribus Diuinis, ac humanis:
ſtabilitas eorundem ex merito procurata.
Profiteri vitâ Iuſtitiam, parum iudicauit: niſi Totâ
profiteretur Æternitate.
Quam malè venalis proſtat hæc ſæpe Virtus:
tam benè à ſui FVNDATORE æſtimata.
Ne diuturnis licitationibus tanquam incerta proponeretur,
perpetuis donauit ædibus, reditibus, Iuribus.
Diu Veritatem de Terra orituram,
Cupida de Cælo proſpiciebat, Iuſtitia.

Tandem

CASIMIRO LEONE SAPIEHA auſpice,
Inquilinæ noſtræ factæ ſunt.
Prouido etiam conſilio, Iuris Humani, Diuiniq; Profeſſio,
grandibus Patriæ præmiſſa caſibus,
ne ſcelerum deeſſet Conuictio:
& ne credi poſſent Innocui,
quorum violentiâ, Iura ruiſſent.
Inueniret inſuper ventura Ætas,
Præiudicium criminis in Hoſte: Meritum Facti in Patriæ Ciue.
Auſpicium operis, Triumphus geminæ virtutis,
Cultûs in DEVM, obſequij in Patriam.
Dum ingenti ſcelere oppugnatos in ſuis imaginibus, tuetur

Cælites:

dum Religione defensa Patriæ, conseruat Patriam,
Paucis Iuris ac Æqui inuentis tutoribus, quos sequeretur:
prouidit plurimos, qui Se sequerentur.
Hem hominum audaciam!
Dum pariant Hydras, contemnunt Hercules;
dum impleant Cunas, demoliuntur Cælos.
Sacrum D. Michaeli Vilnæ Templum, obstetricantibus oppositum ædibus:
Fæcunditatem quæsitam, Angelica puritate oppugnare visum.
Post fremitum poculorum, ventum ad pugnam Sagittarum.
Hostis, DEVS: acies, aduersæ Diuorum sacræ Effigies.
Quis hîc non vltrices Cælo dexteras expectasset,
nisi Vindicem iniuriarũ elegisset SAPIEHAM Deus?
Egit hic tantum, quantum Cæli optarant.
Summis viribus, potentissimis clientelis, grauissimæ auctoritati:
pares opes, potentiam, auctoritatem cùm opposuisset:
Iuris & Æqui
agnitus est, antequam videretur, Fundator;
In Se primùm legi voluit, quod de Se deinde diceretur.
quemadmodum
In Se gessit, quod pro Se obiturus, DEO, Patriæq; offerret.
Vitæ dixeris Immortuum.
Nam vitæ Causa, Mortis Occasio.
Non potuit meliùs mereri vitam, quàm meruerit mortem.
Occidit, dum occidentibus Auroram accendit.
Ad perduellis conspectam imaginem seruitutis, expirauit:
Auertite oculos Posteri!
Inauditum in Patria exemplum, Patria sibi facta,

Priùs

Priùs se perditam vidit, quàm proditam sensit.
Defluxit Purpuris natalis rubor,
qui superfuit: sanguis Ciuium fuit.
Nec alio militares rubuêre Sagi, aut bellicæ pastæ Aquilæ.

O TVAM

ILLVSTRISSIME CASIMIRE LEO SAPIEHA virtutem!
Vnus in paucis, DEO & Regi fidus; pro DEO, & Rege firmus;
cum DEO, & Rege Victor.
Vt nondum deposita sint arma, dudùm triumphat Causa.
Prensat supremis digitis excussas è plena manu Prouincias hostis;
& quicquid tangit,
Fidem SAPIEHANAM palpat.
Nisi SAPIEHANVS Sol luxisset,
Æterna nox Patriæ metuenda erat.
Fatentur id,
qui omnia circumspexerunt, vt Patriæ prouiderent:
neq; Pharon ad quam se reciperent, inuenerunt:
quàm SAPIEHAS,
ILLVSTRISSIMVM PAVLVM SAPIEHAM,
nunc Palatinum Vilnensem, Supremumq; Exercituũ Lituaniæ Ducem:
ILLVSTRISSIMVM CASIMIRVM LEONEM SAPIEHAM,
tunc M D. Lit. PROCANCELLARIVM.
Grande virtutis iudicium,
Vnus omnium de virtute consensus.
Grande decus Gloriæ,
Vna omnium, laudibusq; ijsdem imbuta lingua.
Si magnum est dici,

HIC EST:

G quan-

quantum erit, HIC SOLVS EST?

Tantus pugnat Dux, tantus obijt PROCANCELLARIVS.

Ille felix Lauro, hic gloriosus ipsa Cupresso.

Fatalis hæc, vt sit Arbor,

Fata Virtus non timet.

Tumuli HEROVM, MONVMENTA Laudum.

Vixisti CASIMIRE LEO SAPIEHA, vixisti!

Virtutibus, Opibus, Armis, Animo: DEO & Patriæ deuotus.

Viues quoq; immortalis ô PHOENIX Lituaniæ!

Quoties rebellis miles, per Te officio restitutus, Sacra tuetur,

Tu DEO dicaris:

Quoties Patriam propugnat,

Tu pugnas.

Insonat altè, insonabitq; æternùm, Tua illa plena Pietatis

in DEVM & Patriam Vox:

Pugnarent constanter pro Aris, tuerentur Focos:

Patrimonium amplum tuum, in stipendijs numerarent:

TE promissorum Obsidem haberent.

Hoc Classico, excitata Fides: hâc Tubâ, erecti Animi.

Hic clangor totam exercet Patriam,

Perennemq; exercebit Gloriam.

Obsidem Te pro Religione & Patria voluisti,

Obsidem Nominis Tui, Religionem & Patriam habebis.

Quamdiu steterint,

MONVMENTVM TVI STABVNT.

NEC silere dolor potuit, nec satis loqui potest. Facundus & mutus sit simul, necesse: dum loquendo dolet, dolendo loquitur. En quàm pauca prolocuti, silemus! quàm multa silentio loquimur! Ampliora sunt Tua merita ô PARENS & FVNDATOR Munificentissime, quàm vt dici possint. maius nostrum debitum, quàm vt enarrari. Non vnum tamen tempus est, quod maximis Tuis Virtutibus, átq; in nos beneficijs occupasti; non vno igitur ea dicenda, totâ spectaberis gloriosus æternitate, totâ prædicaberis. Iuris Tui, o Iuris diuini humaniq; FVNDATOR Gloriosissime facti sumus. Vteris nobis, quando voles. Habes fidei pignus, silentis ACADEMIÆ gratias. Si muta loquitur, loqui permissa, quî Te sibit? Si Exul à te diuidi non potest, natiuis reddita Sedibus, quî à Te dimouebitur? Quæcunq; nos Fata maneant, Tui memoriam non obterent. Si grauia, illam sustinebimus. Si mitia, illa laudibus Tuis imbuemus.

16

VARSAVIÆ,
Apud Viduam & Hæredes Petri Elert, S.R.M. Typogr: Anno Dñi. 1659.